

Hannover die letzteus 3 Brüder

(= 44) 1) Pancratius, Johannes de

Sphaerium apud certiorum.

(Leipzig: Druckerei des Capostoffels, 1485 - 1489)

Hainz. 14 215

BMB. II, L. 636.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

(= 45) 2) Vergilius, Maffeiis (nicht: Vitruvius)

De veritate et phalsa lettha
Leipzig: Konrad Kachelofen.

Hainz 14 943

Hainz 15 929, BMB II f. 632

BMB
II.
f. 623
3. Februar Altinae:

Ec. 8

(= 46) Elegia de amore et amitibetis illius et eius
Leipzig: Konrad Kachelofen nicht nach f. 632

4

ORATIO

HABITA IN FESTO CA.
THARINAE, VVITEBERGAE,

¶

IOHANNE MAIORE D.



VVITEBERGAE ANNO 1569.

4

ORATIO
HABITA IN FESTO
CATHARINÆ.

CHRISTE Deus, Nam te genitor sine origine, &
Mente sua in se se rediens, & imagine truua (æuo
Concepta, genitaç, suo de numine uiuo,
Naturaç sua, propria se luce mouentem,
Per se pollentem, stantem, nullius egentem,
Patre resultantem tamen, & Patris instar habentem
Ædedit, & per te res omnes semine nullo
Ædedit, & per te facit omnia, & omnia per te
Sensa sua eloquitur, & dat responsa salutis,
Christe Deus, Quæ sit rebus forma undicç, & æui
Qui status, & quæ sors, Tu cœlo cernis ab alto:
Ne sine nos, nec nos tanto in discrimine linque,
Sed pacti memor, usq; mane, Dum lapsa ruinam
Secla trahant, & forma triplex confidat in ignes,
Ah maneas, nec te amplexu iam subtrahe nostro:
Na ȝideò massam hanc fragilē, ut cōsisteret in te
Infragilis, complexus eras, humerisq; leuasti,
Insita perpetuos ut tecum uiueret annos.

Quis mihi tam mœstā speciē, & miserabile uisu
Picturæ genus, insignem uel præstet Apellem,
Expressum dabit, aut docta simulabit ab arte,
Quām cum mœsta parens stetit acri fixa dolore
Sub nati cruce uisa sui lacrymansq; gemensq;
Cui iuxta ex Christi socijs erat omnibus unus,

A ij Cum

Cum ludo intentus exercitus impius astat,
Exuuiasq; Dei missa cum forte prophanat,
Vittatiq; Patres furijs immittibus acti
Demilere neci Dominum niftale merentem.

Hos habitus, hæc ora gerens Ecclesia mater
Fulmina Pontificis Christo excipiente, minasq;
Ferrati Imperij, & plagas, & uulnera, & iætus,
Sub cruce stat mœrens, & tundit pectora palmis
Vix uno comitata uiro: Videt agmina circum
Sanguinolenta uirûm dictis instare superbis,
Et ludo temerare cruentam sanguine uestem
Doctrinam Fidei, hei uerè uelamina Christi.

Triste rudimentum dant Belgæ, tristius autem
Lilia succusso collum inflectentia flore.
Non generis respectus ibi, non ordinis ampli,
Non sexus, æuiq; mouet: Mezentius alter
Nominis Albani, Phalarin, Siculofq; Tyrannos
Tormentis superans, feritate Lycaona præstans,
Visceribus miserorum, & iniqua cæde piorum
Mille rogos complet, cui Carbonarius olim
Extiterit pater, ut furtim sub fornice mater
Conceptum ædiderit, nil regum stirpis habentem.

Sed quis tela parat contrâ: Sed tela parare
Est nimium forsan, nimiumq; erat æra locare
Proq; Fide, & Fidei socijs, patriæq; salute:
Ah quotus afficitur quisq;, & conspirat amicè
Cognatis membris ex uno uertice Christi:

Semper

Semper in humano solidatis corpore membris
Conuenit inter se: Si pars affecta fatiscit,
Paulatim langor per cunctos diditur artus,
Ut læso cerebro, dolet imus uenter, & escam
Haud recipit, sed frusta iterum semesa sub auras
Egerit eructans: Dum pendet, & hæret eodem
Ex capite annexus fibris: respondet utrinq;
Mutuuus his dolor, inq; uicem languent q; ualent q;

At si quando subest manifesti caussa doloris,
Nec tamen in sensus penetrat dolor: illicet adsunt
Signa laborantum mente, Et uiolentia maior
Eripit affectis sensus in peste minore,
Ceu facis exiguae lucem premit igne suo Sol,
Et lenem calami tinnitus, Martius aeris
Ille canor rauci prohibet peruidere ad aures.

Ergo animos si non tangunt fata illa, Nec ullus
Sensus adest opere in tanto: Mens uicta laborat,
Et consanguineus lethi stupor urget hiantes.

Nam quod nos oculis uigilantibus ista uidemus,
Nec mala sentimus tamen, aut ex parte dolemus,
Obliti decoris prisci, sociumq; salutis:
Indicio est, mentem confusam, & fata propinquæ
Instare excidio: Nobis est frigida bello
Dextera, Sed uirtus calet hosti nescia frangi.
Credo equidem, nos immunes, semperq; quietos
Omnes ad casus fore: Quod si proxima tecta
Hauserit ignis edax, Nobis sperare salutem
Fas fuerit semper: Sic fas, sic nempè meremur,

A iij Sunt

Sunt animi nobis, sunt nerui, moenia, fossæ,
Non temerè instructis tulerit sese obuius ullus.
Si populi, quos ille suis prædator Iberus
Insequitur signis, sunt sacra aliena secuti
Pertæsi iuga prisca, luant commissa, neq; illos
Iuuerit auxilio quisquam, aut odia attrahat ultrò.

Non hæc, ô Proceres, prætexite splendida uerba
Desidiæ uestræ, aut uestris præsumite in armis
Spem tantam, securi adeò; Sic notus Iberus:
Et belli furta, atq; artes, quibus ille magistro
Sub Carolo primis tolerans assueuit ab annis:
Excute hunc quæso ex oculis, animisq; ueternum,
Ne uictos doceat serò fortuna dolere.

At memini, non esse Phryges ueterū illa parentū
Semina, Sed genus acre uirūm, sed forte, piumq;
Germanos rerum dominos, gentemq; fidelem.
Cur igitur nos degeneres à stirpe parentum?
Cur patriæ indecores sumus, & dediscimus ortum?

Quæ sit enim nostris uirtus super, inq; gerendo
Iusto Marte fides, Nuper documenta dederunt
Egregia, heu cunctis nota non delebilis annis,
Cum septena uirūm ceciderunt miliz, & ultrò
Proiectis armis herbam, & capita ipsa dederunt,
Hoste salutato, uiuas Rex optime Regum.

Sed non ille sui oblitusue, armisue pepercit,
Verba salutantum, fremitusq; moratus inanes:
Viuat, cui uitam dextra, & fortuna reseruat,
Obuia quæcq; metit ferro, & mollissima corda

Mactat,

Mactat, agēs præ se: Quis enim in sua iura, fidemq;
Accipiat, genus infidum, quod iura, fidemq;
Prodit amore auri, iam nondum instantे periclo,
Extrema nec adhuc cum staret sorte, sed antecepit
Inter utruncq; agmen pugnæ fortuna uolaret:

O macula, ô probrum quod nulla oblitteret ætas
Teutonicæ genti, Quia lethum infame sine armis
Prætulit insigni letho in uicticibus armis.
Imprecor: ô tellus periuro sanguine tincta
Militis infandi, tibi pix, & sulphura uiua
Vortice inaccesso spirent graueolentibus auris,
Quas super haud ullæ uolucrum se credere pennis
Ausint, nec pecudes illicuestigia flectant,
Nulli fas hominum sceleratae insisterè terræ.
Ah pudet esse satos Germano sanguine, & auram
Hausisse hanc unâ tam foeda piacula mundi:
Thraces erant, queis nulla fides, & foedera cordi.

O cohibete malum Proceres, nec tendere pestē
Ulterius sinite, & iustis defendite in armis
Sacra Dei, ueramq; Fidem, Qua uindice quondam
Reddita libertas uobis, regnumq; uigebat
Consilij, palmæq; instar pax læta uirebat. (bras.
Nunc nunc Cimmerias iterum detrudere ad um.
Romanoq; animas iterum submittere Asylæ
Instat uia patria conductus niles Iberus.

Ergo uelut Simson stans inter utrasq; columnas
Spectatum expositus, cui frons sine lumine, nudum
Crine caput, miscetq; preces, statuasq; prehendens

Vellit

ellit humo, procerumq; super iacit agmen, & ipsū
Se super, & moriens animam ipsis hostibus aufert,
Quando aliud melius telum non ipse reliquit:
Haud aliter geminas inter disposita columnas,
Inter regna Ducum, sacraq; inter inania Papæ.
Stans medio Pietas sine luce, & honore relicta,
Angitur, atq; precum ualida ui pulsat utrasq;
Hinc atq; hinc statuas, execraturq; Tyrannos,
Monstraq; uana Deūm: Nec uoce absistit anhela,
Donec uteq; status trahat ima ex sede ruinam,
Quanq; unā ruat hæc, ut saltē in morte triumphet.

No n aliam ob caussā nata est de Costide fama
Relligione Patrum, Nisi quōd docuere minores
Quōd fixa æternūm, fatiscq; ignara moueri
Se teneat Pietas, inter gladiosq;, rotasq;,
Atq; Erebi contrà portarum ingentia claustra,
Vimq; ducum infernā, & necentes furta Sophistas.
Gestat enim Catharina rotam, Sed parte refixam
Plus media: ferrum retinet, mucrone deorsum
Telluri infixo, Vincitq; ars Dædala linguae
Vibrantes gladiumq;, rotamq; uolumine torto
Acta uolubilibusq; Sophis, atq; ense Tyrannūm.
Sed rota cum gladijs, Sed uis, doctrinaq; fallax
Fracta, uolente Deo, euentus habuere sinistros.

A n non quisq; suo fato, si uera fatemur,
Fata eadem expertus, quæ sit sententia dicit
Inuoluci, Atq; anīmum pictura firmat ab ista

Non extrà muros hostes quæramus: in ipsis

Paries.

Parietibus nostris exempla petantur : In illos
Insinuat multus se Stellio, multaque Arachne
Fauce uenenata folium mordere Philippi
Tendit edax, furtimque illudit tempore capto
Artis praesidibus uariæ, morumque magistris.
Aut lites serit, aut obliquè crima fingit,
Qualia Thersites ducibus obiecit Achiuis,
Et nouus ille Sinon, quo non rabiosior alter
Missus ab Illyricis huc læuo numine terris,
Pestiferis chartis, maledictoque euomit ore.

Ausus quin etiam furiali carmine Bubo
Me petere, & furtim morsu lacerare canino,
Dans uitio sancti mihi præceptoris amorem,
Cuius Iusta cano, memorandaque scripta per orbem
Laude ueho, seris placitura nepotibus olim.

Tandem etiam infernis Alecto emisit ab umbris
Illyrico Vatem egregium : qui turbine raptus
Facta canat, laudes qui pleno ebuccinet ore,
Et contrâ exacuat dentes, atque impetat hostem
Spumiferi suis exemplo, Caprique salacis
Plurima cui mento pendet iuba fusa per armos,
Cornua torta rigent, olidaeque in corpore setæ.

Sed quid ab occulto pugnas, & tela per umbras
Mittis in insontes : possit quid uiuida uirtus
Experiamur age, & tantas si concipis artes,
Congredere ingenio, & mecum te crede periclo,
Eque solo prorepe foras lumbrice sub auras,

B

Me,

Me, quanque ingenio finxit Natura benigno,
Archilochum tamen armauit cum carmine, & iras
Addidit, Atque aciem metuendam, & pungere uersu
Doctus Apollo dedit, uellantur ut ilia, & imae
Hostibus exsiliant fibræ: Tot ab hostibus actus
Impetor: hinc odijs, & criminè Flacius instat,
Insuper infensi poenas cum sanguine poscunt
Romulidæ porci, & crassi farragine uentres,
Tonsa quibus coma, quēis lumbos, atque ilia stringit
Nodus, & ad talos mento palearia pendent:
Et toties uitam hanc in aperta pericula mili
Dicta parans contrà, coniectaque tela retundens,
Nil odium, nec amorem, aurumque aut ocia curans.
Viuo equidē, nec adhuc uestras impellor ad umbras,
Ceu pueri trepidant, quando uesicula turgens
Plena animæ simulat displosa repente fragorem.

At nos iuncti animis, & Christi numine freti
Vincemus gladiosque, rotasque, palāque, & missa tenebris
Spicula torua uirūm, uimque omnem exhibimus hostis,
Et uitare dabit laqueos, & soluere texta,
Texta quibus planum doctrinæ inuoluere corpus,
Præstigijsque operire, nocentesque inuehere umbras
Aggreditur maledicta manus, gens æmula Hyenæ,
Roma noua ad Salæ ripam, cui summus Afylas
Præsidet Illyricus, patribus dans iura uocatis,
Et clauem intentat, qua sancta oracula recludat
Artificis scelus: hos prohibet statione Sacrorum,
Admittitque alios; hamo piscatur & auro

Cum:

Cum Briarei manibus, atq; ære emungit hiantes,
Omnia Pontifici similis, clauemq; thronumq;
Et fictos uultus, & auarum pectus, & artes.

Sed rota parte sui meliore est truncata: fatiscunt
Texta tua, & radij, fusi, colus, ipsa q; tela.
Restat adhuc ensis: Quod si uibraueris ensem,
Et fera in arma Duces excibis, & ocia rumpes:
Tunc tunc à capite ad talos eris alter Asylas.

Sed nunc artis opus, nunc nunc incubere libris,
Et doctis fas est dictis insurgere contrà
Qui luci tenebras, qui nodum inducere scirpo
Læua mente parant, & monstris pectora turbant,
Costidis eloquio moniti, atq; exempla secuti,
Quæ Verbum opposuit tumidis ratione Sophistis,
Quos lingua melior superauit, & arte magistra:
Idcircò studijs præfectam credidit olim
Vana superstitione, fabricans ab imagine Diuam.

Huic causam dedit inuolucro, defector Iulus,
Cum penitus ueros Sacrorum tolleret usus,
Doctrinamq; adytis excluderet: Illa disertis
Continuit se se ludis, Quo tempore Vates
Cui nomenq; artesq; suas donauit Apollo
Floruit, & pulcris Doctrinam effinxit in umbris,
Vt uelut arguto latitans in tegmine opera
Blasphemi furias uitaret, & arma Tyranni,
Iuncea ceu texit Mosen fiscella per undas.
Ergo Dædalea formans in mente puellam,
Finxit in effigiem gentis quæ dedita Christo est,

B ij Quam

Quam mille hinc atq; hinc sectantur Erynnies atræ,
Opponuntq; duces gladium, nodosa Sophistæ
Argumenta, rotas radijs imitantia textis.
Illa colens artes, atq; artis acumine cernens
Fallentum tricas, & torta uolumine sensa,
Stat mente opposita, gladiosq; rotasq; retundit,
Inq; scolis dextrè tractat coelestia sacra,
Arte sagax sensa eliciens, succinctaq; membra
Digerit inter se, mox uerum colligit, & mox
Diluit oppositis certa ratione sagittis
Si quis præstigias offudit imagine recti.

Nanq; domus sacræ Musis, & Dædala templæ
Artificum, grauidæ referunt exempla Pharetræ
Vnde omnis generis promit uolitantia tela
Hostis in obiectas acies Deus, unde repellit.
Vimq; minasq; truces, & subdola dicta refellit.
Hæc sunt ceu Promæ, Sophiæ & Virtutis: Ab illis.
Progressum Pietas facit, & culta exit in Orbem,
Vimq; inhibet, retegitq; dolos ratione sagaci.
Ut nec sæpèuirum legiones, æquore campi
Explicitæ, populis tanta emolumenta pararint,
Quanta uel orater bonus, Ut qui tollere nouit,
Et dictis sedare animos, inhibere furentum
Consilia, & ferro armatos euincere uerbis,
Excutere è manibus tela, & componere pacem.

Postq; aberit doctis honor artibus, & sua nusq;
Gratia sit ludis, nec norma, & copia fandi:
Cæca superstitionis rursus dominabitur aris,

Et tene-

Et tenebræ lumen fuerint, & candida nigra.

Ergo sacri Vates, quos inter primus Elisa,
Instituere scolas, excultamq; arte dederunt
Progeniem, Et seros Doctrinæ semina ad annos
Transmisere Patres, & suffecere magistros
Ex alijs alios, qui tradita sacra propagent.

Moses ponè adytum formauit in arte iuuentam,
Inq; scola eduxit Samuelem maximus Elis,
Et Salomon uaria superauit in arte magistros
Quos Oriens habuit, quos & Nilotica tellus.
Hi sacra produxere Dei, & præcepta dederunt,
Haud ueriti in ludis iuuenum tractare laborem.

His moniti exemplis, Patres in honore scolarū
Dixerunt sacram Catharinæ nomine lucem,
Ceu Louis è cerebro natam coluistis Athenæ
Pallada, Doctrinæ matrem, mentisq; magistram,
Quæ caput anguicomum truncati Gorgonis effert
Terrifico in clypeo, Quæ uibrans aurea frena
Affectus ratione premit, retrahitq; furentes.

Nos, Te Natae Dei genitum de mente lehouæ,
Quem dixere Pelen, mirum, cognomine miro,
Qui caput attritum Serpentis in orbe Triumphi
Spectatum ducis, Per quem sapientia uera
Funditur in mentes, pacis Deus author, & omnis.
Noticiae recti, Qui sparsa desuper Aura
Corda doces, Verboq; mones, retrahisq; uagantes,
Te colimus, tibiq; hæc tibi sacra, diemq; dicamus,
Proq; tot artificum inuentis, operumq; labore,

B ij Tot

Totuaria fandi ratione, tot artibus almis
Quæ lucem haud tenuem solis cœlestibus addunt,
Prosequimur gratis animis, & munere laudum.

O utinam in flammā uerti, atq; incendia amoris
Possem in amore tuo Deus, O si in laude canenda
Alme tua in sonitum transirem, in carmen, & altæ
Vocis imago loquens fierem, Et sint guttura centū,
Ferrea uox, agiles linguæ, & canor omnis Olorum,
Totus ut in laudes, tuaq; in præconia abirem
Pro meritis pie Christe tuis, & munere multo.


Ah prohibe ne nos furor in contraria uertat,
Ambiguamq; uiam Doctrinæ, à tramite recto
Cui Patrum institerant uestigia : Gliscit ubiq;
Seditio, inq; dies paulatim incendia Mauors
Prodere, conceptosq; in apertum ferre furores
Incipit : Inflati spirant niendacia folles
Vulcani Illyrici, properantq; armata uenenis
Tela nouis, captatq; aditus, & tempora belli
Irrequia manus, residesq; mouere uicissim
Tentat in arma Duces, Martemq; accēdere scriptis.
Nec cessabit enim, donec patientia nostra
Victa sit incursu uario, & tandem arma repellat
Tantis intentata odijs, & criminè acerbo.
Tandem ubi nulla quies speranda ex uulnere uestro,
Et uestra instabunt nobis certamina porrò
Plausibili specie obijcere, atq; illudere acerbūm
Mitrati proceres, quibus hæc odia impia uestra
Dant animos, ferrumq; acuunt in fata piorum :

Testor

Testor summe Deūm ad tantos accingier ausus
Inuitum, Si nostra tamen fert sorsq; Deusq;
Vos contrā totis in bellum uiribus ibo,
Et fictas Agni exuuias detraxero, Et ipsum
Doctrinæ uestræ genus, ipsius esse Draconis
Romulei uocem claris ostendero signis.


Si quid enim gestum est uobiscum lenius æquo
Hactenus, & si uos blanda tractauimus arte
O stupidi, & crasso Bœotum ex aëre porci,
Omne datum est paci: Nec nos diffidere caussæ
Fingite, & inflatis Pæana intendite buccis.

F I N I S.



Taliter etiam in primis etiam
Invenimus quod non solum in scriptis sed etiam in
Vasconia locis in portu omnibus id
Habemus etiam ex multis decessu. Et quod
Bogotanae etiam quod non solum in scriptis sed etiam in
Ranum etiam potest certe quod non solum in scriptis sed etiam
Si dicitur enim leviter est nequidam littera etiam
Habemus etiam non solum in scriptis sed etiam in
Ostium etiam portum ex scripto
Ostium etiam portum ex scripto: Nec non difficile est scriptio
Ilorum etiam non solum in scriptis sed etiam

FINE



Fa 1388,
80



100



101

101

101

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101. *Dieß ist ein sehr
guter und schöner
Gedicht*

101.

101.

101.

101.

101.


101.

101.


101.

101.

Farbkarte #13



B.I.G.



4